

6. Demonstratur modus quomodo in camera obscura imagines rectæ sibi queant per 2. vitra convexa, ubi tamen minor magnitudo objectorum observatur.

DEMONSTRATIO XXXVII.

Omnia diaphana convexa radios luminosos solares concentrando in unum punctum calorem intensum, imo flammatum producunt.

Experimenta.

1. Vitro sphærico, quod aqua limpida repletum est, pulverem pyreum accendere, sulphur colliquare, tabacum in fistula inflammare cominode possumus, non secus ac si vitrum solidum convexum fuerit assumtum.

2. Glacie diaphana convexam figuram habente tempore hyemali flamمام jucundo spectaculo producere possumus.

3. Humore crystallino oculi bovini punctum in papyro inuri potest.

4. Vitra convexa, duplicata majoris vel minoris diametri varia exhibentur, & illorum effectus in colliquandis metallis, lapidibusque monstratur.

DEMONSTRATIO XXXVIII.

Imagines coloratæ vitris infixæ integro ac imperturbato suo colore mirifica multiplicatione transferuntur in alia loca.

Experimenta.

1. Laterna Magica præstantissimis vitris instructa, ultra octoginta imagines exhibentur, mirabilis magnitudinis,